

et loca S. R. E. sub datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto quarto kal. aprilis, pontificatus sui anno secundo usque in præsentem diem, per quoscunque Romanos Pontifices suos prædecessores, aut mandato, vel auctoritate eorum, quomodocunque, vel qualitercunque, et quovis colore factas, et concessas de civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus, et locis S. R. E. et sanctæ Sedis apostolicæ, et tam mediate quam immediate subjectis, tunc videlicet de tempore dictarum infeudationum, investiturarum, gratiarum, et concessionum nondum devolutis, nec non quascunque prorogationes, et extensiones quarcunque infeudationum, investiturarum, gratiarum, et concessionum de dictis civitatibus, terris, oppidis, castris, arcibus, et locis tunc videlicet de tempore dictarum prorogationum, et extensionum nondum finitarum quibusvis personis, cujuscunque gradus, status, et conditionis, et præminentia, etiamsi imperiali, regali, ducali, aut alia quavis præfulgeant dignitate, etiam in vim contractus, et ex quocunque titulo etiam oneroso, et per quascunque tam sub plumbo, quam in forma Brevis sub annulo Piscatoris, aut etiam alias quomodocunque, et qualitercunque expeditas litteras, ac sub quavis verborum forma, quam, et præmissorum omnium tenore, Sanctitas Sua pro expressis haberi voluit, latissime extendendos. »

Quod fructus in tertia parte augeri possint vigore clausulæ.

65. « Item cum nonnulli in impetrationibus beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore vacantiam, et certo modo vacaturorum, asserendo illorum fructus, etc. certum per eos expressum annum valorem non excedere nonnunquam obtineant a Sanctitate Sua, ut hujusmodi valorem annum augere possint, ut verius possint in confectione litterarum, super hujusmodi impetrationibus summa ant valet annuus exprimi, aliter desuper non specificato, ne de veritate hujusmodi concessionis in posterum hæsitari contingat, declaravit prætextu concessionis hujusmodi, valorem ipsum usque ad tertiam partem valoris expressi, et in prima, quæ desuper fiet, litterarum expeditione duntaxat augeri posse, et eas, quas litteris jam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non inte-

gro augmento prædicto, denovo desuper expediti contigerit litteras, cum aliquo augmento valoris hujusmodi, nullius esse roboris, vel momenti, etiamsi motu proprio beneficiales gratiæ, et dispositiones, quæcunque a Sanctitate Sua emanaverint. »

De insordescensibus.

66. « Item, ne personis, pro quibus litteræ Suae Sanctitatis emanabunt ob generalem absolutionem a censuris ecclesiasticis, quibus ligati forent, ad eorum effectum indifferenter concedi, et in litteris apostolicis apponi solita, præstetur occasio censuras ipsas vilipendendi, et insordescendi in illis, statuit, et ordinavit hujusmodi absolutionem, et clausulam in litteris, quas in futurum cum illa concedi contingeret, non suffragari non parentibus rei judicata, incendiariis, violatoribus ecclesiarum, falsificatoribus, et falsificari procurantibus litteras, et supplicationes apostolicas, et illis utentibus, receptatoribus, et fautoribus eorum, ac res vetitas ad infideles deferentibus, violatoribus ecclesiasticæ libertatis, via facti ausu temerario apostolicis mandatis non obtemperantibus, et nuntios, vel executores apostolicæ sedis, et ejus officialium, ejus commissa exequentes impediuntibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati a jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint. Et generaliter quibuscunque aliis, qui censuris aliquibus etiam alias, quam ut præteritur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum insorbuerint. »

Officiales nihil exigant ultra debitum.

67. « Item D. N. exactionibus, quas Sanctitas Sua non sine displicentia plerumque fieri intellexit per officiales Romanæ Curia, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio officiorum, quæ obtinent, non contenti, ultra a prosequentibus negotiorum quorundam expeditionem in eadem Curia exigere non verentur, obviare volens, districte præcipiendo inhibuit omnibus, et singulis quævis officia in eadem Curia obtinentibus, ne de cætero quicquam prætextu officiorum, quæ obtinent quovis colore etiam celerioris expeditionis, ultra emolumenta hujusmodi exigere, seu ad hunc effectum expeditionem eorum, quæ eis incumbunt, malitiose differre, sub excommunicationis, et præter illam suspensionis a perceptione emolumentorum

hujusmodi pro prima ad semestre, et pro secunda ad annum, et pro tertia vicibus quibus sic excederent, privationis officiorum per eos obtentorum, in quibus sic excesserint pœnis. Ac voluit, quod S. R. E. vicecancellarius, et camerarius, excedentes ipsos respective, prout eis subsunt, per subtractionem emolumentorum eorundem, ac alias, ut præfertur, compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus abstinere, ac contra eos per prædictas pœnas, et alias, prout melius expedire viderint, procedant. »

Reservatio beneficiorum vacantium Sede apostolica vacante.

68. « Item Sanctissimus D. N. provide considerans, consuevisse quandoque Romanos Pontifices prædecessores suos beneficia, quæ vacante Sede apostolica vacare contigerant, dispositioni suæ reservare, intendens de beneficiis hujusmodi tam conclavisti, quam pauperibus clericis, et aliis bene meritis personis providere, omnia, et singula beneficia per regulas Cancellariæ apostolicæ, aut quaslibet alias apostolicas constitutiones temporales Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, et ex quavis causa reservari solita, quæ a die obitus fel. rec. Innocentii XII, prædecessoris sui, usque ad diem vigesimam tertiam novembris vacaverunt, et de quibus per quoscunque ordinarios collatores, tunc dispositum non fuerat, seu minus valide dispositum fuerat, suæ provisioni, ac dispositioni reservavit. Decernens irritum, etc. »

Revocatio indulgentiarum supervenientia.

69. « Item, quia ad importunam nonnullorum suggestionem quandoque contigit, prædecessores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub contractorum debitorum, vel diversis aliis prætextibus, concessisse, et indulgisse beneficiatis, ut fructus suorum beneficiorum, aut partem eorum anticipatis solutionibus ad tempus elocare, vel erga creditores, aut quascunque alias personas obligare, vel hypothecare, in solum dare, aut alias quomodolibet de eis disponere liceret, ad tempus minime restrictum, ad vitam supplicantium cum gravissimo successorum præjudicio, et Ecclesiarum detrimento. Ideo indemnitati Ecclesiarum, et successorum in beneficiis hujusmodi salubriter consulere volens, revocavit, cassavit, et nonnullavit omnia, et singula indulta, et facultates

in ea parte, qua necdum vere, et realiter suum sortita sunt effectum, per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores suos hactenus ad favorem quarumque personarum concessa, quibus eis, vel eorum singulis ullo modo, et ex quavis causa, vel prætextu permittitur fructus certos, vel incertos, jura, obventiones, et emolumenta quæcunque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum anticipatis solutionibus, ultra unicum annum elocare, arrendare, ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarumcunque personarum quomodolibet obligare, vel hypothecare, in solum dare, aut de eis quomodolibet, et ex quavis causa disponere pro tempore, ad vitam beneficiorum, et tempus, quo beneficia hujusmodi obtinuerunt, minime restricto, et coarctato illorum tenores, etc. Decernens irritum, etc. »

Quod cardinales non comprehendantur sub Regulis faciendis.

70. « Item, cum S. R. E. cardinales S. D. N. assistant, ac propterea debeant specialibus prærogativis, et privilegiis gaudere. Idem D. N. statuit, ordinavit, decrevit, et declaravit, quod in quibuscunque constitutionibus, et regulis per Sanctitatem Suam edendis non comprehendantur, neque comprehensi censeantur ipsi cardinales, nisi illæ eorundem cardinalium, vel majoris partis eorum consilio editæ fuerint, seu in eisdem regulis, et constitutionibus facta fuerit ipsorum cardinalium expressa mentio.

Quod regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus.

71. « Item Sanctitas Sua statuit, et declaravit, quod præmissis, et quibusvis aliis regulis Cancellariæ suo tempore edendis, ac publicandis, nunquam censeatur derogatum, in quibuscunque constitutionibus, litteris, brevibus, indultis, et aliis ordinationibus apostolicis, etiam motu proprio, et ex certa scientia emanatis, per quæcunque verba et decreta derogatoria, irritantia universalialia, et amplissima, et clausulas quantumvis efficacissimas etiam derogatoriarum derogatorias, atque specialis, et individua expressionis vim habentes, et habentia, nisi facta fuerint de illis expressa mentio, et non aliter, nec alio modo. »

De potestate Reverendissim. D. vicecancellarii, et cancellarium regentis.

72. « Primo, quod possit committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in litteris apostolicis aliquid scriberent, corrigere, vel delerent.

« Item, quod possit corrigere nomina, et cognomina personarum, non tamen eorum, quibus gratiæ, et concessionis fiunt, ac beneficiorum, dum tamen de corpore constet.

« Item, quod possit omnes causas beneficiales, etiam non devolutas committere in Curia, cum potestate citandi ad partes.

« Item, quod processus apostolica auctoritate decretos aggravare possit cum invocatione brachii sæcularis; et sententias executioni demandari facere contra intrusos, et intrudendos per litteras Apostolicas desuper conficiendas, et non alias.

« Item quod possit signare supplicationes manibus duorum referendariorum signatas, de beneficiis ecclesiasticis sæcularibus, et regularibus dispositioni Apost. generaliter non reservatis, quorum cujuslibet valor centum florenorum auri de Camera, vel totidem librarum turonen. parvorum, seu totidem in alia moneta communem æstimationem, valorem annum non excedet.

« Item quod possit signare supplicationes etiam duorum referendariorum manibus signatas de novis provisionibus, si neutri, et subrogationibus pro colligantibus, in quibus non detur clausula generalem reservationem importans.

« Item, quod possit ad ordines suscipiendos arctatis prorogare terminos de dictis suscipiendis ordinibus, usque ad proxima tunc a jure statuta tempora in quibus sic arctati successive ad ipsos ordines promoveantur. »

Placet, publicentur, describantur I. F.

« Lectæ, et publicatæ fuerunt suprascriptæ regulæ, ordinationes, et constitutiones in Cancellaria apostolica ab uno ex R. R. PP. DD. majoris præsentis abbreviatoribus anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo, die vero decima quarta mensis decembris pontificatus prælibati sanctiss. Domini Nostri CLEMENTIS XI anno primo

« Joseph Maria Minicotius procustos. »

§ XVII.

SOLVUNTUR VARIA DUBIA CIRCA REGULAS CANCELLARIÆ: UBI ET DE INTRUSIS IN BENEFICIO.

489. *Regularis cancellariæ, an, et qualiter in judicio sint producendæ?* — Quæritur I. An, et qualiter in judicio producendæ sint regulæ Cancellariæ? Resp. I. De hoc disponitur per proxime relatam regulam 28. « De regulis Cancellariæ producendis, » inscriptam. Quia enim juxta varietatem concurrentium causarum, et negotiorum, aliquoties immutari convenit regulas Cancellariæ: hinc super probando earum tenore jubet Pontifex, non esse standum dictis testium, utpote tenacem desuper memoriam plerumque non habentium: sed voluit, atque ordinavit, ut iudices in ipsa Curia auctoritate apostolica deputati, super hujusmodi tenore, et affectu probando duntaxat stent, fidemque adhibeant schedulæ, seu scripturæ, ad præviam indigentium supplicationem a duobus majoris præsentis dandæ, et a tergo signatæ, et etiam a duobus aliis litterarum apostolicarum abbreviatoribus in ipsa Cancellaria auscultatæ, et vicecancellarii manu subscriptæ. « Quidquid autem secus neri contigerit, nullius sit roboris, vel momenti, » inquit pontifex in citata regula 28. prout patebit eam legenti.

490. *Sententia lata regulis non productis subsistit, quando pars adversa non excepit contra hoc. Quando judex facit actum, qui potest esse præjudicialis parti, debet pars expresse contradicere: alias sibi præjudicat.* — Resp. II. His tamen non obstantibus, sententia lata regulis non productis in forma præscripta subsistit, quando pars adversa non excepit contra hoc. Ita Joan. a Chokier in reg. 26. (nunc 28.) Cancellariæ, quæ inscribitur, « De regulis Cancellariæ producendis: » n. 18. allegans plerosque omnes in dictam regulam scribentes; atque stylum Curie Romanæ, requirentem pro inducenda nullitate gestorum, quod excipiatur de regula non legitime producta. Accedit ratio: quia decretum illud irritans in fine citatæ regulæ appositum, habet tacitam conditionem; videlicet, si is, cujus favorem respicit, eadem uti voluerit, arg. l. et eleganter. § 1. juncta Glossa 7. Nullam. ff. de Dolo malo. Quoties enim autem judex facit actum, qui potest esse præjudicialis parti, debet pars expresse contradicere: alias sibi præjudicat, arg. l. I.

§ XVII. SOLVUNTUR VARIA DUBIA CIRCA REGULAS CANCELLARIÆ, ETC. 577

C. de Relationib. ac notat Bartolus, ibid. 7. *Ultimo notu.* Nam tacendo, juri suo tacite renunciat, atque in actum iudicis consentire videtur; ut cap. II. de *Accusationib.* in 6. ubi Glossa 7. *Reclamante*, istud ulterius probat ex reg. 43. jur. in 6. « Qui tacet consentire videtur. »

491. *Regula 28. De regulis cancellariæ producendis, non procedit in illis, quæ aliunde sunt notæ, saltem loquendo extra curiam romanam.* — Addit Chokier loc. cit. n. 20. post Alphonsum in *Glossemat.* cit. reg. n. 8. quod prædicta regula 28. « De Regulis Cancellariæ producendis » inscripta, non procedat in illis Cancellariæ regulis, quæ aliunde sunt notæ, et usitatæ, quæque vel per praticos, vel per codices regularum in urbe impressos comprobari possunt: saltem loquendo extra Curiam Romanam, seu in aliis tribunalibus Orbis. Nam dicta regula 28. seu « De Regulis Cancellariæ producendis » inscripta, loquitur expresse « de Auditoribus causarum palatii apostolici, et aliis in ipsa Curia pro tempore deputatis auctoritate apostolica iudicibus, » uti patet ex textu. Simulque eadem regula pro sua ratione istam allegat: Quia « faciliter per eos, qui in Romana Curia indigerint, ad ipsam Cancellariam recursus dirigi potest. » Hæc enim ratio cessat in tribunalibus extra Urbem existentibus, utpote in quibus non nisi difficulter, et majoribus cum sumptibus propter locorum distantiam, talis authentica productio regulæ haberi poterit. Et hinc placitum extat supremæ Curie Sabaudicæ, quo definitum fuit sufficere regulas Cancellariæ allegare, licet non proferantur sub plumbo: prout notat Chokier, ubi supra, post Ant. Fabium lib. IV. *Definit. forens.*, defin. 15.

492. *Utrum per clausulam generalem, Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, derogetur regulis cancellariæ? Et ratio dubitandi.* — Quæritur II. Utrum per clausulam generalem, « Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, » censeatur derogatum regulis Cancellariæ? Ratio dubitandi, et affirmativam tenendi, est: quia regulæ Cancellariæ appellantur *Ordinationes*, et *Constitutiones* apostolicæ, prout liquet ex earundem rubrica, et præmio: ergo pariter sub generali constitutionum, et ordinationum apostolicarum derogatione videntur venire. Verum his non obstantibus.

493. *Negativa sententia tenetur.* — Resp. I.

Sub clausula illa generali, « Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, » regularum Cancellariæ constitutiones non comprehenduntur; neque istis censetur derogatum, nisi de his specialiter mentio fiat. Ita Ludov. Gomez, seu Gomezius in præm. regular. Cancellar. quæst. 5. asserens, ita tenere stylum Cancellariæ, et Curie Romanæ, qui in hoc casu pro lege habetur, ipsique standum est, arg. c. *Quam gravi. 6. de Crimine falsi*, cum similibus. Atque pro hac sententia per eundem Gomezium allegatur Rota in una Zamorens. thesaurariæ, de mense novemb. 1533, coram R. D. Nicolao Aragonia: et in alia Romana, *Pecuniaria*, coram D. Joanne Paulo, decis. 20, novemb. 1536. In quibus domini de Rota voluerunt, per ejusmodi clausulam non fuisse derogatum regulæ Cancellariæ, « De exprimendo valore: » neque Regulæ 35. (nunc 37.) « De non appellando ante sententiam diffinitivam. »

494. *Estque de facto certa.* — Atque hæc sententia de facto est certa; et expresse decisa per modernam, ac superius jam relatam regulam 71. Cancellariæ, « Quod regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus » inscriptam: quæ tamen primum addita fuit, neque reperitur inter regulas Cancellariæ Urbani VIII. (relatas tom. IV. *Bullarii Romani*, constitut. 7. dicti Pontificis) aut alias antiquiores. Accedit ratio: quia regulæ Cancellariæ continent clausulam derogatoriam voluntatis sequentis actus in contrarium; uti liquet ex earundem præmio, ibi: « Et suo tempore duraturas observari voluit: » et post Petrum de Ancharano in consil. 297. in princip. notat Gomezius loc. cit. Atqui stante tali clausula non sufficit generalis, sed requiritur specialis derogatio, arg. l. *Si quis in principio. ff. de Legat.* III. et notat Bartolus, ibid. circa init. Eo quod clausula derogatoria voluntatis sequentis actus, habeat vim cujusdam protestationis præambulæ: qualis protestatio declarat, in sequenti actu voluntatem deesse, nisi expresse, revocatio fiat, ut l. *At si quis. § Plerique. ff. de Religios. et sumpt. funer.* cum similibus, et amplius declarat Gomez, ubi supra.

495. *Qualiter juxta regulam 9 cancellariæ initium mensium sit computandum? Mensis, quot dies contineat?* — Quæritur III. Qualiter juxta regul. 9. Cancellar. initium mensium sit computandum; præsertim incidente va-